

Postcommunio

P

1851 **P**rótegat nos, Dómine, cum tui percepíónē sacraménti báetus Sabbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatióñis eius experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Die 6 decembbris

S. Nicolai Ep. et Conf.

III classis

Ant. ad Introitum Eccli. 45, 30

1852 **S**tátuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis eius.

V. Glória Patri.

Oratio

1853 **D**eus, qui báatum Nicoláum Pontificem innúmeris decorásti miráculis: tríbue, quásimus; ut eius méritis et précibus a gehénnæ incéndiis libérémur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio feriæ 425.

Léctio Epístolæ báeti Pauli Apóstoli ad Hebráeos. Hebr. 13, 7-17

1854 **F**rates: Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes exítum conversatióñis, imitámini fidem. Iesus Christus heri et hodie: ipse et in sécula. Doctrínis váríis et peregrínis nolite abdúci. Optimum est enim grátiá stabilire cor, non escis, quæ non profuérrunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per pontifi-

cem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Iesus, ut sanctificáret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeámus igitur ad eum extra castra, impropérium eius portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquirímus. Per ipsum ergo offéramus hóstiam laudis semper Deo, id est, fructum labiòrum confiténtium nómini eius. Beneficéntiae autem et communiónis nolite oblívisci: tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obcédite præpósitis vestris, et subiacéte eis. Ipsi enim pervaigilant, quasi rationem pro animábus vestris redditúri.

Graduale Ps. 88, 21-23

Invéni David servum meum, óleo 1855 sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráccium meum confortábit eum. V. Nihil proficiet ini mícus in eo, et filius iniquitatis non nocébit ei.

Alleluia, alleluia. V. Ps. 91, 13 Iustus 1856 ut palma florébit: sicut cedrus Libani multiplicábitur. Alleluia.

T Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthéum. Mt. 25, 14-23

I n illo témpore: Dixit Iesus discípulis 1857 I suis parábolam hanc: Homo péregre profíciscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álli autem duo, álli vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Similiter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fudit in terram, et abscondit pecúniam dómini sui. Post

multum vero témporis venit dómíni servórum illórum, et pósuit ratíonem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómíne, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dómíni eius: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómíni tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómíne, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dómíni eius: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómíni tui.

Ant. ad Offertorium Ps. 88, 25

1858 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómíne meo exaltábitur cornu eius.

Secreta

1859 **S**anctífica, quásimus, Dómíne Deus, hæc múnera, quæ in solemnitáte sancti Antistítis tui Nicolái offérimus: ut per ea vita nostra inter advérsa et próspera ubique dirigátur. Per Dómínum nostrum.

Et fit commemoratio feriæ 425.

Ant. ad Communionem Ps. 88, 36-38

1860 Semel iurávi in sancto meo: semen eius in ætérnum manébit, et sedes eius sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in ætérnum, et testis in cælo fidélis.

Postcommunio

1861 **S**acrificia, quæ súmpsimus, Dómíne, pro solemnitáte sancti Pontíficis tui Nicolái, sempitérna nos protectiōne consérvent. Per Dómínum.

Et fit commemoratio feriæ 425.

Die 7 decembris

S. Ambrosii

Ep., Conf. et Eccl. Doct.
III classis

Ant. ad Introitum Eccl. 15, 5¹⁸⁶²

In médio Ecclésiæ apéruit os eius: et implévit eum Dómínus spíritu sa- piéntiae et intelléctus: stolam gló- riae índuit eum. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómíno: et psállere nómini tuo, Altíssime. V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salú- 1863
tis beatum Ambrósium miní- strum tribuísti: præsta, quásimus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in ter- ris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dómínum.

Et fit commemoratio feriæ 425.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2 Tim. 4, 1-8

Claríssime: Testíficor coram Deo, et 1864
Iesu Christo, qui iudicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus et regnum eius: prædica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pru- riéntes áuribus, et a veritaté quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómni- bus labóra, opus fac evangélistæ, mi- nistérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim iam delíbor, et tempus resolu- tiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósta est mihi